



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Quomodò signa praeCEDentia certissimum Christi aduentum indicant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

penitentiam & remissionem Luc. vltim. Et ideò nō  
 vult prius tenere iudicium, quàm prædicatum fue-  
 rit Euangelium in vniuerso orbe, Matt. 24. nē quis  
 se excusare possit in iudicio. Vt igitur nunc cuiq; tri-  
 buat in corpore & anima, prout gessit, siue bonū, siue  
 malum, 2. Cor. 5. & vt noti fiant qui obedierunt Euā-  
 gelio, & qui non, Roma. 10. dixit se venturum ad iu-  
 dicium cum potestate & maiestate magna, Lucæ 21.  
 Primus eius aduentus fuit occultus, secūdus autem  
 erit manifestus, de quo dixerunt Prophetæ Psal. 49.  
 Deus manifestè veniet, & non silebit. & 95. Iudica-  
 bit orbem terræ in æquitate, & populum in veritate  
 sua, Actorum 1. Iterùm veniet sicut vidistis eum eun-  
 tem in cœlum, & Malachias 4. de die extremo vatici-  
 natur, inquit: Ecce dies veniet succensa quasi ca-  
 minus, & erunt omnes superbi & omnes facientes  
 impietatem stipula &c. Sic ait Ioannes baptista Matt.  
 tertio. Ventilabrū in manu sua, & repurgabit aream  
 suam, & congregabit triticum &c. Et Petrus Act. 10.  
 Christus constitutus à Deo iudex viuorum & mor-  
 tuorum. Et Paulus 2. Timo. quarto. Christus iudica-  
 turus est viuos & mortuos in apparētia sua & regno  
 suo. Viui dicuntur, quos adhuc in carne ista inuentu-  
 rus est aduentus Christi, Luc. 21. 1. Thessal. quarto,  
 mortui dicuntur, qui de corpore ante hunc aduen-  
 tum exierūt, sicut exponit Augustinus in Enchiridio  
 cap. 55.

Secundò, inquit Petrus 2. Pet. 3. de quibusdam qui  
 dicunt, ambulantes secundùm proprias concupiscen-  
 tias: vbi est promissio & aduentus eius? quasi dicerēt,  
 nullum erit iudicium & nullus Christi reditus. Sed  
 fratres, custodite vos ab errore tali, & crescite in co-  
 gnitione & gratia Domini nostri Iesu Christi. Ideò  
 maximè absterrerī debet à peccatis, quoniam iudex  
 omnia manifestabit, & consilia cordium & abscon-  
 dita tenebrarum, 1. Corinth. quarto. Et si quis non

Y 4 velit

velit dare fidem verbis, quòd Christus iterum venurus sit, attamen signa quæ dixit prædecessura Christus, præbent maximè, vt sicut illa certissima sunt quotidie, ita erit certus Christi aduentus ad iudiciũ sunt enim hæc signa ex scripturis: primùm, quòd Romanum imperium, quòd in terris summum & vltimum est, desolabitur: & filius desolationis aut perditionis homo peccati antichristus, in templo Dei sedebit 1. Thessal. 2. non adueniet Dominus nisi venerit prius defectio, Hieronymus & Ambrosius de Romano imperio & desolatione illius hinc Apostolum intelligunt, peccatum abundabit, desolatio in templo erit tempore Antichristi: deindè surgent Pseudoprophetae, Matth. 24. falsi doctores sectarum, Apostoli Antichristi. Neque vna erit persona Antichristus, nisi fuerit vltimus falsarius, cæteri sui discipuli. Tertio, erunt signa in sole, Luc. 21. Matth. 24. in terris autem signa erunt, regnum contra regnum, seditiones, fames, pestilentia, & omnia erunt in summo, & abundabit iniquitas. hæc quotidie fieri videmus. Ergò & verissimus erit Christi aduentus. In die autem ipso nouissimo sicut fulgur de cælo repente lucebit super omnia quæ sub cælo sunt, sic erit aduentus filij hominis in illo suo die, Lucæ 17. & Dauid dicit Psalm. 97. Ignis ante ipsum præcedet, deindè signum filij hominis, id est, crux, apparebit in cælo, Matth. 24. postremò, omnes mortui & viuentes simul, boni & mali resurgent, & rapientur in nubibus obuiam Christo in aera, sicut inquit Apostolus 1. ad Thess. 4. & se parabit tunc Christus homines, sicut pastor oves ab hircis, Matt. 25. hæc omnia erunt in die nouissimo.

3. Tertio, Matth. 25. legimus, quòd filius hominis veniet in nubibus cæli cum virtute multa, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit supra sedem gloriae suæ, & mittet angelos suos, cum tubæ voce magna, &